

Nobilissimo et Amplissimo Viro  
CONSTANTINO HUYGENS

S. P.

Celebritas nobilissimi tui Nominis, Vir per-illustris, jam dudum te videndi et adfandi studio pectus meum inflammavit. Quare, cum Haga humanissimum Barisium nuper convenirem, coram etiam dotes tuas celestes veneraturus eram; sed occasione votis adversa nimis, frustra te quaesivi, ut non licuerit mihi esse tam beato. Manibus interim litteris occupationes vestras interpellare mihi religio fuit, sanctè equidem profiteor; aliquandiu quidem me à scribendo vestra partim clara nobilitas, partim mea juvenilis tenuitas deterruit; sed familiaritas, quæ Parenti laudatissima memoria tecum intercessit, facit ut ego ignotus ferè humanitatis tuæ operam privatim, in re tamen non privatà rogare auserim: postquam enim multum laboris in studiis tam humana quam divina sapientia, et multum temporis in variis Academiis trivi, voluere Ecclesiarum Antistites, ut tandem sacro ordini maturos fructus exhiberem, et Parentem, quem in me semper promiseram, quasi renatum non tantum ore et nomine referrem, receptus ergo ante mensam (cum quatuor et viginti annos compleo) in Candidatorum S. Ministerii numerum, et ab eo tempore incertus, quo fata ferant, ubi sistere detur; nam toti Noriomagensium Classi à concionibus sum, et tanquam Peripateticus in territorio Cuyckienfi, in Principis agro, ut in celo Planeta oberro: quantus nunc, Grande Patria Lumen, <sup>esse</sup> Apollo? si suo tempore ex Peripatetico Stoicum, vel ex errante Stellâ fixam efficias; ad Soci tuam operam per sacra Musarum imploro, quam mihi (ut propter memoriam Parentis confido) nunquam es pro tua singulari erga literatos viros humanitate denegaturus. Si itaq; vel brevi, vel in posterum Ecclesia Cuyckienfis quæpiam Ministrum desideraverit, nostri quæsumus, dum Cellis. Principi à memoriâ et consiliis es, rationem habeas, et heredes mutui amoris, ut quondam Paterni constituas. Rem nobis longè gratissimam prestiteris, et semper apud memores bene stabit gratia facti. Interim studiosissimum tui cultorem, vel tacito affectu, licet immerentem, pro tuâ erga bonos benevolentia, dignari et agnoscere ne graveis.

Multifaria domi parata et assiduis elucubratis studiis, in commune bonum à Parente que habes, jam cum Noriomagi luteo, sedulis excutiis, et ad consummationem paro, qualiacumq; verò nostra ista aut sunt aut erunt, tuis omnia quod dabit spero Deus et dies, aspectibus patebunt: sed pluribus impresentiarum te non obtundam: ambitiosè mihi gratulabor, si in Huygenii es deceptoris notitiam, amicitiamq; irruerim; o! utinam quid à me proficisci possit, quo me tanti beneficii non ingratum probem estimatorem, non patiar sanctè dico, quicquam in me desiderari, quo observantia in te mea reddatur illustrior. Ita Vale, Illustrime Vir, publico Patria bono, et mei propter Parentis memoriam vive memor.

Scribeb. Noriomagi xxviii Maj. Jul. A. X. 1666.  
Nobilissimo vestro Nomini Sacer  
JOHANNES SMITH, Flugiis

Mel. Selen, A. Constantijn,  
Coiffen A. Myr. B. S. S.  
CONSTANTINUS HUYGENS  
Doxe tot Leyden, etc.  
Ordinaris Raad van hyn  
Bevecht den A. Princes  
van Oranien

2  
J. Swaen - B. S. S.  
op 2e Myr.

